

Matthæi Gribaldi Iu-

RISCONSULTI CHE-  
RIANI,

DE RATIONE STV-  
DENDI,  
LIBER PRIMVS.

¶ Speculari volentes ab omni affectu liberos esse oportet. Caput I.



**H**OMO à brutis animantibus ratione distans, suapte natura scire desiderat.

<sup>a</sup> Omnis enim scientiæ finis est ueritas,

<sup>b</sup> qua (cùm inuenta fuerit) nihil dulcius, nihil ue pretiosius haberi potest: pro

thesauris omnibus est, desiderium explet, & animo quietem parit: ea uerò non corporeis uiribus, sed ingenio atque arte comprehenditur, ratiocinando, specularandoq; inuenitur. Enim uerò speculatio animi libertatem querit: liber autem esse non potest, cui affectus imperant, & cupiditates dominantur. Quem ad modum enim uentri, aut scorto deditus rectè speculabitur? aut ab alea pendens, ueritatis constantiam quæret? Quis alienæ fortune inuidens, probè ratiocinabitur? aut ira perpetuò flagrans, iustitiæ semitam discernet? Quis foedissimæ auaritiæ laqueis irretitus, aut miserrimæ ambitionis fumo liquecēs, ad philosophiam rerum omnium contemptricem euola-

<sup>a</sup> Aristo. 1. metaphy. 1. apud Iulianū. de fidei-  
cōmi. liber.  
<sup>b</sup> Arist. 2. metaphy.



bit? Planè si uicissim pugnantiâ eodem loco consistere non possunt, nullumq; ueritas habeat hostem cupiditate maiorem, ut poterit affectibus turgens commodè speculari, & ad ueritatis scientiam peruenire? Veritas candorem amat, latebras odit, fucos horrescit, aditus patentes quærit, libera est, seruire nescit, aliena umbra tegi nõ uult, suo lumine delectatur, cum seruili ignauoq; hominum genere commercium non habet, solis liberis & speculantibus præsto est. Hæc igitur (dilectissimi iuuenes) cum omnis scientiæ sit finis, ad quem artificum, professorumq; omnium studia contendunt, cum ciuili discipline unus sit scopus, in quem collimare omnes debetis, ita uos ad sui amplexum trahat, sic ab omni fluxarũ rerum cura dimoueat, eius gratia candido proboq; esse animo studeatis, ab omni affectu libero, ab omni cupiditate alieno: ita fiet, ut & rectè speculari incipiatis, specularandoq; ad ipsam ueritatem quamfacillimè perueniatis.

¶ Disciplinæ quam sibi quisque elegerit, totis uiribus incumbendum, ut in ea excellere possit.

### Caput II.

EX ueterum monumentis (quantum per otium uagari licuit) neminem memoria repetimus in diuersis facultatibus excelluisse, summumq; ac perfectum scientiæ gradum attigisse: nisi forte opponat aliquis M. Catonem Portiæ familiæ primum, quem triplici dote insignem usque ad summũ fuisse proditum est: summũ scilicet Oratorem, summum Iurisconsultum, ac deniq; summum Imperatorem. Verùm, si cum peritis sui temporis, aut paulo iunioribus conferamus, aliter sentiemus. Fuit enim

M. Cato

a L. vbi repugnantiâ. de regu. iu. l. j. C. de furtis. l. Mutius. pro socio.

Plin. lib. 7. c. xxvj.



L V G D V N I,  
EXCVDEBANT IOANNES ET  
FRANCISCVS FRELE  
LONII,  
FRATRES.

ANNO M. D. XLIIII.

*El doctor  
Alvarado*

*Alonso Bel  
tra paradelapaga  
a y de a bul*